

R  
2005-2006

DISPUTATIO PHILOSOPHICA  
De.  
**MENTE HUMANA.**

*Quam*  
**AUXILIANTE NUMINE**  
*Sub Præsidio*

Viri Reverendi & Clarissimi  
**D. JOH. Chieri APACII, S.S. THEOL. Do-**  
ctoris, ejusdemque & p.t. Philosophiæ naturalis in  
illustri Collegio Claudiopolitano Refor-  
matorum Professoris or-  
dinarii,

Publicè defendendam suscipit

**M A T T H I A S F ⸿ G A R A S I ,**  
Theol. Phil. & Ling. Studiosus.




**V A R A D I N I ,**

Apud ABRAHAMUM KERTESZ SZENCIENSEM.  
Anno Domini M. DC. LVIII.

Georgij kis-ai  
1707.

D. Francis Dally



*Generoso prudenti ac circumspetto viro*  
**D. VALENTINO ISTVANDI.**

*Gravissimo Claudiopolitanorum Centum viro,  
 Solertissimo Collegii Reformatorum Curato-  
 ri, Benignissimo Musarum Patrono ac Fau-  
 tori, Liberalissimo studiorum meorum Mæ-  
 cenati.*

*Immaturam hanc studii Philosophici messem*

*In perpetuæ gratitudinis quale quale  
 τεκμήριον summa cum animi sub-  
 jectione.*

*Sacram facio*

**MATTHIAS EGARASI**

*Respondens*

**M. ACADEMIA  
KÖNYVTÁRA**

**G. TELEKIEK'  
ALAPÍTVÁNYA**



**DISPUTATIO PHILOSOPHICA**  
**De**  
**M E N T E H U M A N A.**

**T H E S I S I.**

Ulm nihil homine divinus, venustius, mirabilis, sub Lunæ concavo Deus sapientissimus naturæ artifex, inter opera hexaemeri reliquerit: hæc autem divinitas, pulchritudo & elegantia maximè in mirabilibus naturæ in ipso altioris operationibus (qua nempe præterita recordatur, cernit præsentia, & futura prævidet) consistat: non inutilem operam nos ponere visi sumus, si de Mente humana sobriè & paucis philosophari in præsentiarum sumeremus: Quo materiam de anima rationali superioribus hisce diebus per ordinarias prælectiones propositam discipulis clariorem & faciliorem reddere-mus.

**T H E S I S II.**

Quamvis mentis humanæ appellations tam apud Latinos, quam Græcos & Hebræos, promiscuè sæpius usurpentur; si tamen differentiam requiramus, ea vix alia esse potest, quam quod anima quæ Græcè ψυχὴ Heb. nephes dicitur, significet principium, quo vivimus: spiritus sive animus, qui Græc. πνεῦμα, Heb. ruach, verò sit id, quo sapimus: Mens denique Græc. νόος, Heb. danyat dicatur illud, quod divina contemplatur. *dahyhat*

**T H E S I S III.**

Mens itaque hominis est spiritus corpori ejus regendo destinatus. Quod verò per spiritum, quem aliquid aliud indigitare statim diximus, definire cogamur, causa est, quia usus loquentium clariorem eum jam nobis fecit, Adeo quidem ut illo nomine & Deus & Angeli passim veni-

ant. Nihilque aliud sit quam substantia cogitans. Cogitare verò est ejus quod in se est immediate consciū esse. Talis autem substantia est non tantum Deus, sed etiam Angeli & mentes humanæ. Cum istic tamen discrimine, quod ille seipso necessariò existat, hi verò ab illo contingenter. Sed & inter hos quoque hoc interest, quod illi perfectiores sint, Deoque sine corpore mole ministrent, nisi id hominum imperfectio quandoque desideret: hæ verò ex supremi Entis ordinatione unionem cum corpore semper appetant.

## THESES IV.

Quia igitur inter Angelos & Mentes humanas differentia non est intrinseca & substancialis, sed extrinseca duntaxat & accidentalis : ( sunt namque utriusque substantiarum cogitantes ) hinc mentem quoque substantiam esse liquidum constat. Secus aut de Angelo aut de Mente neganda esset haec definitio, & quidem vel tota vel in parte. At quod ne de Mente quidem negari possit, inde patet, quod nulla possit cogens ratio adferri, quare cogitatio attributum scilicet rei in Angelo substancialis & spirituale, in homine sine spirituali substantia confistere possit : nisi dicas corpori quoque ex se competere posse ut cogitet, sicut substantias spirituales & corporeas in essentiali attributo convenire, proindeque inter eas nullam genericam differentiam statuas. Deinde actiones sunt suppositorum : haec vero omnia esse substantias spirituales, nemo cum ratione negare potest. Cum itaque Mens percipiendo, volendo & judicando suas operationes & actiones exerceat, eam suppositum aliquod esse necesse est, & per consequens substantiam.

## THESES V.

Esse autem substantiam à corpore realiter distinctam probatur inde, quod cogitatio quæ mentis est essentiale attributum, sine conceptu exten- sionis, quæ corporis est attributum pariter essentiale, clarè & distinctè à nobis percipi possit. At quæcunque nos ita percipimus, ea à se invicem separari & sola existere divina potentia possunt; nisi quis infirmiorem De- um in operando, quam nos in cogitando autem. Clara autem perce- ptio ( uti ea definiri solet ) est quando res menti attendenti præsens & ob- via est. Distincta verò quando non tantum clara, sed ab omnibus aliis abstracta & præcisa. Deinde experientia omnium seculorum docet cor- pus quodlibet corruptibile esse; quod de mente humana affirmare, nec

241

natura ejus, nec operationes, nec denique Dei natura permittit. Cogitare namque, quæ forma specialis est cujuscunque spiritus, etsi non ultimata perfecta ad ens in certo genere rerum constituendum nullis potest constare partibus, in quas in omni corruptione sit resolutio. Percipere quoque velle & judicare ex natura sua non imminuunt perfectiones mentis, sed eas multiplicant, si ordinatè fiant, quo namque plura percipimus & judicamus, eo sapientiores, diviniores & perfectiores habemur. Denique cum Deus qui hominem creavit, naturaliter sit sapiens & justus; animæ hominis quæ sempiterna appetit, finem extra vitæ hujus terminum collocaffe, ubi etiam quibus in hoc mundo malè fuerat, optimè esse possit, censendus est.

THESES V

Hinc eorum sententia, qui dicunt, mentem posse dici & esse substantię corporeę modum, non tantum est falsa sed & valde periculosa, sensimque ac sine sensu ad atheismum manuducens. Si namque modus est corporis, corrupto corpore ipsam quoq; corrūpi necesse esset, quod falsū esse thesi præcedente probatum ; aut saltem sequeretur modum posse non inexistere, & per consequens non esse modum, quod esset contradictionem. Nec obstat, quod objiciunt extensionem & cogitationem esse attributa, quæ certis substantiis tanquam subjectis insunt, cumque hæc inter se non sint opposita, sed diversa ; mentem quoque posse esse attributum quoddam, eidem subjecto cum extensione in homine convenire ; quamvis unum in alterius conceptu non comprehendatur. Resp. Diversa sola ratione dissentunt ; cogitationem autem & extensionem & re & ratione dissentire, proindeque opposita esse, liquet inde , quod essentialia sint attributa, quæ nullo modo à rebus, quibus insunt separari, manente essentia rerum, possint. Quod ratione extensionis in corpore , ratione verò cogitationis in spiritibus sive mentibus separatis, Deo puta & Angelis infallibiliter verum esse, ne ii quidem, adversus quos nunc disputamus, inficias ire audebunt. Unde constat aliter cogitationem corpori inesse, quam extensionem, nempe per subjecti sui congrui, à quo inseparabile est , conjunctionem, quæ si dissolvatur, corporis essentiali attributo manente, ipsa inde abscedere potest. Sed instant : hæc in homine consentire, eidemque etiam secundum idem simplex subjectum attribui posse, atque ideo diversa non opposita dici debere. At respondemus i. Logica non de locali & physica

coexistentia loquitur (quomodo possunt etiam opposita ad compositi aliquujus constitutionem congregari, ut in elementorum ad elementata generanda mixtione, aliisque quam plurimis in Medicina, Mechanica & rerum compositionibus, cuilibet clarum est) sed de habitudinum affectionibus, quarum quæ opposita sunt diversa esse non possunt. 2. Hominem subjectum simplex esse, is demum dicet, qui cum Lucretio & similibus, præter corruptibile corpus in ipso nihil cernit. Illudque ipsum hominem esse dicit, quod brutis quoque commune est. 3. Subjectum tale in quo reperiuntur duo vel plura attributa, quorum utrumque sine alio potest distinctè intelligi, compositum est, non simplex. Ubi si quis regerat, *hæc se mutuo in conceptu quidem suo non includere, sed nec se invicem excludere*, ideo non satisfacere respondemus, quod distinctus conceptus non adæquatè repræsentet, nec quidpiam, quod clarū & ab aliis præcisum non est, comprehendat, quo pacto quicquid illo non includitur, excludi necesse est. Hinc dicimus intellectum finitum, non nisi inadæquatè Deum ejusque attributa concipere, quia de misericordia ejus cogitando, non potest eam ita præcidere ab essentia & reliquis attributis, quin necessario includatur conceptus essentiæ, unitatis, infinitatis, æternitatis, imò & justitiæ divinæ, alioquin non divinum sed finitum quid conciperes. Longè certè secus ac *in conceptu animalis, qui rationem nec includere nec excludere objicitur*: nisi enim ille rationem excludat, adæquatius dici non meretur. Siquidem adæquatum subjectum & adjunctum illud dicitur, quorum neutrum latius vel angustius est altero. Quicquid igitur extra sphæram consensionis eorum reperitur, excludi meritò censetur. Isthæctamen exclusio non efficit, quo minus ratio quoque ad Dei nutum insuper accedere queat. Quod ubi factum est conceptus compositi, ut sic necessario includit partes. Hinc videre est non illam esse rationem, quare cogitatio extentionem in suo conceptu non includat, quod tum non posset esse in subjecto extenso, quum alioquin fieret penetratio dimensionis. Hæc enim est plurium corporum in unius loco adæquato coexistentia, non rei spiritualis, multo minus accidentium, quæ loca occupare non possunt. Hinc quoque quamvis motus & figura sine extensione seu re extensa concepi à nobis nequeant, non est tamen talis penetratio nobis metuenda. Sed mirabilis hic videatur illa ratio, quā modos illos motus & figuræ sine ulla extensione existere dicunt, quia extensio ipsis non adversatur

sicutur

sicut nec cogitationi. Nam si illud sufficeret; & disprata & contradictionia & privantia possent se invicem modificare: & ex hoc quia non adversantur deberet unum sine alterius conceptu existere: cum potius adversa maximè in causa sint, quare unum sine altero esse debeat.

### T H E S I S VII.

Hæc autem compositio, quia est partium sive membrorum, materiam totius sive integræ constituentium, necessarioque & tam arctè inter se unitorum, ut nec anima sine corpore omnes, quas edere solet, operationes efficiat, nec corpus humanum, qua tale sine anima quidpiam operetur, vel etiam ad momentum vivat, sequitur non esse ens per accidens & per aggregationem (quo pacto partium compositarum nulla ad alterius internam perfectionem, quidpiam facit, ut in acervo tritici & similibus patet) sed ens per formam essentialē unum. Forma namque est causarum illa, per quam unumquodque est, id quod est. Homo verò per corporis & animæ unionem realem est homo, quæ si tollatur, maneant licet anima & corpus separata, homo non amplius erit homo. Nec est quod quis hanc esse hominis formam ideo neget, *quod forma sit operationum omnium principium, quod de unione tali affirmari nequeat, cum illa sit accidentis, opera verò saepe substantiae*. Præterquam enim quod responderi posset, hominem nihil substantiæ unquam producere, sed eam duntaxat modificare, dicendum est, quod ex se in nulla unquam re operatur, sed cum materia conjuncta, dicitur autem principium operationum, imò actus, quia immediatè quasi respicit effectum, non quemadmodum materia, mediante forma. Sed & illud verum hic quoque esse debet, quod, actiones sint suppositorum. *Quis verò unquam dixerit solam formam, materia exclusa, constituere supposum?* Si entia divina solummodo formas esse regeras; respondeo te formam physicè ac proinde valde strictè accipere, non verò, ut par esset, logicè ac generalissimè, quomodo materiam & formam entibus etiam divinis (proratione nostri captus) competere, necesse est. Secus nulla unquam de talibus definitio esset meditanda. In qua genus semper materiam, differentia autem specifica formam exhibet.

### T H E S I S VIII.

Sed ut institutam disputationem persequamur, restat videndum an nihil ponderis habeat talis illatio. Si cogitatio & extensio eidem subjecto simpli-

Simplici possunt inesse, cogitatio diceretur longa, lata, profunda, quadra-  
ta, rotunda; & extensio affirmata, negata, videns, audiens. Nam inqui-  
unt, illa attributa etiam tum servarent singula suam quamque differenti-  
am. At inquam ego, non est modorum servare suam differentiam uti nec  
operari. Cujus enim hoc est, ejusdem & ipsum esse & vicissim. Si itaque  
esse modorum est inesse, etiam differentiae eorum conservatio dependebit  
a' subjecto, cui insunt, quod quamdiu indifferens & simplex est, non po-  
test tam adversa attributa sustinere, nedum iis essentiam dare. Quin imo  
motus quoque & figura, quamvis propriè sint modi corporei, quod tales  
sunt, habent hoc causaliter non à corpore cui insunt, sed ab externo effi-  
ciente, quamvis eorum conservatio dependeat a' subjecto corpore, quate-  
nus illud, quantum in se est, in eodem statu esse perseverat. Longè itaque  
minus potest cogitatio à corpore dependere, vel in esse vel in operari.  
Si namque cogitatio pertineret propriè ad corpus, nil nisi quod corpo-  
reum est propriè cogitaret.

### T H E S I S IX.

Adhæc, quando opponimus, mentem propterea non posse esse nec  
dici modum corporis, quod de corpore dubitare, de mente verò dubitare  
nequaquam possimus: respondent hoc illud tantum probare, quod, quam-  
diu de corpore dubitamus, illam certò ejus esse modum dicere non possimus,  
potest tamen illud non obstante nostra dubitatione affirmatione vel nega-  
tione ( quæ rerum existentiam nec tollunt nec ponunt ) dubii istius corpo-  
ris, si existat, esse modus. Respondeo. 1. At attributum essentiale (quod  
semper vel à materia, vel à forma, vel ab utraque promanat) à suo sub-  
jecto non potest separari, tota manente rei essentia. Nam si dicas acci-  
dentalē hoc esse attributum, eo ipso alio subjecto debere inhærere affirma-  
bis. 2. Si de natura modi est inesse, eo, cui inesset, negato vel in dubi-  
um vocato, nec ipse posset affirmari, alioquin non per inesse, sed per esse  
definiendus esset. Nec obstat certum quem esse posse se habere figuram cru-  
cis, tametsi dubitet habeatne nummos penes se. Dubitare namque talis  
haudquaquam potest, se illam figuram corporialicui insculptam habere,  
etsi non nummo; nisi insulsè opinetur spiritum quoque posse tali figura  
insigniri: esseque spiritum & non esse. 3. Quamvis verissimum sit affir-  
mationem & negationem nostram non causare rerum existentiam nec tol-  
lere, ea tamen est inter distinctam perceptionem & res ipsas relatio, ut il-

la

la distincta dici nullo pacto queat, si res vel tantillum se aliter habeat.  
Secus, quid inter hanc & confusam interesset? Nec est quod hic omnipot-  
tentia Dei pro instantia objiciatur, quasi Deus per eam posset ei contrari-  
um facere, quod nos clare & distinctè percipere videmur. Tum demù  
namque de illa ritè cogitamus, cum omnem ab ea impotentia speciem  
procul removemus, quod non fiet, si illum contradictoria, ( substantiam  
nempe accidentis & contra faciendo, nam accidentales perfectiones muta-  
biles esse & fuisse maximè ratione potentiae Dei omnes Philosophi conce-  
dunt ) facere concipiamus. Contradictorium autem hic est inesse & non  
inessere. Illud modorum, hoc verò substantiae est. Ut meritò dicere quea-  
mus, non magis posse facultatem cogitandi esse sine mente humana, quam  
montem sine valle. Nec juvat si dicas facultatem cogitandi esse ut genus  
considerandum, quod varias sub se species potest comprehendere, quarum  
una sit substantia & propterea substantialis; altera verò attributum & ideo  
attributiva; tertia verò sit modus, atque idcirco modalis dicatur, proindeq;  
nullam hic esse talem contradictionē. Nam facultas nihil aliud est quam vis  
& habilitas in operando, & quandoque jus ad aliquid legitimè agendum:  
cogitare quoque est agere, quæ omnia esse sui subjecti necessario præsup-  
ponunt. Non itaque ex se & propriè facultas cogitandi aliud dicit quam  
attributum & modum rei, ἀλογον est itaque genus in una specie Logi-  
cum fingere. Deinde attributa & modos esse non opponuntur nec diffe-  
runt realiter ( quod in speciebus semper est necessarium ). Idem enim ac-  
cidens quatenus rei inesse concipitur, attributum, quatenus verò eam va-  
riat, modus dicitur, imò dicitur etiam qualitas, cum ab ipso substantia ta-  
lis esse concipitur. Unde manifestum est nostram illam rationem: mens  
humana concipitur ut substantia incorporea; ergo non ut modus corpo-  
ris: multum recedere à variate illius, qua quis diceret, animal non posse  
concipi, quod sit irrationale, cum illud possit concipi quod sit rationale. Hic  
enim est verum genus, quod utrique speciei ex aequo communicatur, ibi  
verò genus nullum, nisi attributum & modum, & rei cui inest & suiip-  
sius genus esse regeras. Deinde verissima in hoc eodem quoque exemplo  
est talis illatio: brutum à me hic & nunc concipitur clare & distinctè, er-  
go non homo. Denique si ut se habet animal ad rationale & irrationale,  
sic quoque corpus ad cognitionem & extensionem, tum corpus potest es-  
se aliud cogitans aliud extensem. Ex quibus constat quoque quantum

B

robo-



roboris habeat illa exceptio, qua etenim mentis essentiam necessariam dicunt, quatenus necessario in generali illa facultate cogitandi consistit, & sine illa subsistere non potest; sed contingentem quoque posse dici, quatenus vel substantia vel attributum vel modus esse possit. Mens si quidem humana in cogitandi facultate non magis consistit, quam quodlibet ens in modo suo primo & immediate sibi inhærente. Facultas quoque cogitandi non magis potest esse mens humana, quam talis modus res ipsa. Porro essentiam necessariam dicere est necessario dicere substantiam, hanc autem propter coexistentiam cum alia, ejus modum dicere, est adjuncti vel membra Logici naturam ignorare. Horologii quoque ratio, quod scilicet ejus generalis essentia nunc in unius nunc in trium &c. rotarum, nunc in aliarum partium adaptatione constituens varias sub se complectatur species; nihilo plus ipsorum causam promovet; à variis namque rei corporeæ modis & partibus corporeis, ad ei, substantiæ alicujus incorporeæ attributum esse, tribendum, consequentia infirma. Deinde forma Horologii (ut & aliarum rerum si hos eosdem philosophantes sequamur) non in rotulis vel aliis partibus corporeis consistit, sed in complexione accidentium motus, figuræ, magnitudinis & situs; malè itaque ex illarum varietate, specierum varietas introducitur, quum hæc non nisi à formarum oppositione sit petenda.

#### T H E S I S X.

Ex hactenus sic dictis, clarissime patere arbitramur, quod, cum cogitandi facultas genus pluribus speciebus competens esse non possit, anima vel Horologii (quorum tamen neutrum, dum in alterutra duntaxat specie latet, potest esse genus, sed species) exemplo nihil effici ad probandum eam sub conceptu modi corporei existere posse. Imò patere quoque arbitramur, non tantum posse, sed revera ex natura determinari, mentem humanam non accidens sed substantiam dicendam. Adeo quidem ut quamvis sacrarum literarum testimonium, ob summam testantis autoritatem & dignitatem sit omni exceptione majus, proindeque omni ratiocinio præponderet, quia tamen res Philosophicas illæ ex sensu vulgplerumque proponunt, nisi solidis ex ipsa natura instantiis hoc quoque earum effatum stabiliri possit, idem respondere hic quoque promptum eset, quod in circumgyratione terræ & similibus. Adde quod apud hominem atheum & Deum & immortalitatem animarum negantem non plu-

ris fiat sacrarum literarum authoritas, quam apud nos Sancti Georgii, Christophori, & undecim mille virginum res gestæ. Imò non raro incidit vel ipsis quoque Christianis idem omnino scrupulus, qui eximi nulla ratione secus posset. Atqui utinam non esset hæc opinio præcipitum & stimulus ad talem impietatem.

#### T H E S I S XI.

Hactenus probare contendimus mentem humanam præter substantiam aliquid aliud esse non posse, imò quod à corpore realiter sit distincta, unde nullo negotio sequitur, eam non magis verè dici organicam quam modum corporeum. Nam si mens substantia omnino est, per propriam formam est, id quod est. Forma verò dicitur operationis principium immediatum (ut supra dictum est). Imo actus, quod jam materia non amplius in potentia possit hoc vel illud esse & operari, sed revera & actualiter operetur, (quod inanimatis & insensatis tametsi tam clarum non sit, verissimum tamen esse patet, quia, quod in sensualibus & spiritualibus est activè, hoc in istis est passivè operari, quod nihil aliud est quam commodis & usibus horum inservire) sequitur animam non ita esse organicam, ut planè nullas actiones sine corporeis organis perficere possit. Deinde si cogitare est operationis suæ immediate concium esse, quod etiam ex horum sententia & scriptis verum esse liquet, contradictorium esset ope corporis cogitationem perfici, particula namque immediate ad studiosè hoc cavendum additur. Nec est quod eam hic superfluam esse contendas; nam si Deus, Angelus, & anima quoque separata sine ullo interveniente medio intelligit, illud cum ratione dici non potest. Unionem cum corpore arctissimam si causeris, regero, actum cogitationis ut sic esse simplicem, nec admittere illam circulationem, qua ab anima ad corpus, & ab hoc rursus ad illam reitaret; adde quod quemadmodum anima præter motum nihil corpori communicat, sic multo magis nihil potest à corpore ad animam præter motum transferri. Quid itaque opus erat animam, ut cogitaret ope corporis uti, cum quod natura per pauciora potest, per plura non faciat. Omitto quod ab his iisdem mens humana internum principium prædicetur, & quidem cum tali explicacione: additur, inquit, primò ad excludenda instrumenta cerebri, quibus actiones cogitativa, non primò sed secundò sive instrumentaliter perficiuntur. Tertiò, Cogitatio est actio. Actiones autem non præcipue instrumentis, sed ipsis ut

appellant *suppositis*, vel *cansis* *principalioribus*, *instrumentis* *utentibus*, quæ hic est *anima rationalis*, *adscribuntur*, testibus hic ipsum aduersariis. Quod quomodo verè diceretur, si anima in omnibus suis operationibus esset organica, ego prorsus non video. Quartò, experientia quoque hoc in ecstasibus manifestè docet, in quibus quamvis tam fortiter agitentur partes exteriores, ut vehementes earum motus, cerebrum concutere sit verisimile, nihilominus tamen homo mortuo similis manet. Idem patet ex sublimioribus & divinioribus quorundam moribundorum cogitationibus & sermonibus. *Quod ex solis generosioribus tunc ad cerebrum ascendentibus spiritibus animalibus oriri prohibent*, argumenta jam allata, & quæ 12. thesi sequuntur.

### T H E S I S XII.

Jam rationes adversas videre operæ pretium erit, quarum præcipua est, *quod in omnibus suis actionibus saltem cerebro, satis sano & satis recte secundum parenchyma, sanguinem & spiritus, disposito indiget*; ut in pueris, senibus, deliris, sanis aliisque patet, in quibus uti cerebrum dispositum est, sic se habent & cogitationes. Idque non tantum in rebus corporeis sed etiam spiritualibus & divinis, de quibus quoque justa spirituum quantitate deficiente, nihil quicquam cogitare posse in somno profundo, apoplexia &c. clarum est. Sed Respondeo. 1. Cerebrum sanguinem & spiritus animales puriorum cogitationum organa non esse, thesi præcedente probatum, non negamus interim hæc quoque interdum certarum cogitationum causas moventes & adjuvantes esse posse; quemadmodum artifex vel utilitate vel operis honestate ad opus extruendum, pictor quoque iisdem causis & præterea tabellæ elegantia vel penicilli bonitate vel colorum varietate ad picturæ alicujus efformationem permovet. Imò si hæc definit, Apelles, non amplius erit Apelles; nec Dædalus, Dædalus, &c. 2. Quod verò intellectio pura cum imaginationibus semper fere in nobis commisceatur, non naturæ sed propria nostra culpa est, qui ab infancia soliti sumus ex judicio sensuum philosophari: ut mens corporeæ moli adeo immersa raro originem suam repeatat, seseque exerat. 3. Ea quæ per sensus nobis communicantur, nihil commune cum divinis entibus habere, inde perspicuum est, quod quicquid de iis ex sensibus discere possumus, ea vel per oculos vel per aures ad cerebrum transeant, ibi verò præter motus nihil ita transire universa physica clamat. At quî posset mo-

tus Deo & Angelis similis esse? accidens corporeum substantiæ spirituæli? equidem vox scripta, lecta & pronunciata certis & secundum lingvarum varietatem variis calami flexuris, tremulis aëris sonitibus constat, quæ aliquid Deo simile repræsentare, frivolum est opinari, & ex incorruptibili corruptibile facere.

### T H E S I S XIII.

Postquam itaque mentem humanam seu animam rationalem esse substantiam & quidem realiter à corpore distinctam, incorruptibilem & inorganicam, id est, naturæ esse planè à corpore independentis, abundè, ut videmur, defendimus; hinc statim consequitur eam ex traduce esse minime posse. Traduces enim propriè sunt brachia vitium, quibus illæ ex arbore in arborem traducuntur, impropriè verò hominis genitaram hoc nomine ideo appellant, quod quemadmodum traducum una ab alia dependet, sic quoque homo generatus à generante pendeat. Quo sensu quidem non admodum ineptè potest totus homo ex traduce esse affirmari, quia totum compositum generatum pendet ratione unionis & quæ inde consequuntur à generante: Sed quia non tam de composito quam de partibus componentibus est hic sermo; Quæritur, an quia duæ sunt in homine substantiæ unitæ, corpus & mens, hæc quoque perinde ac illud non immediatè à Deo in conceptione producatur, sed à parentibus oriatur? Affirmant multi; Nos negamus.

---

### C O R O L L A R I A R E S P O N D E N T I S

Ex Philosophia rationali.

#### I. L O G I C A.

1. **Q** uia prædicamentorum quedam ad Logicam, alia autem ad reliquarum artium aliquam pertinent, idcirco rectè eorum tractatio à Petro Ramo in Logica negligitur. Idem de notionibus quoque Metaphysicis judicamus, quemlibet tamen suo sensu abundare lubentes permittimus.

2. Nec fallaciæ hic locum habent, cum materiae elenchorum ex argumentorum non secundum artium regulas conjunctione vel disjunctione, forme verò ex syllogismorum definitionibus possunt cognosci ac dijudicari.

3. Accuratissimè effectum illud, quod nonnulli causæ corruptenti attribuunt, à Petro Ramo ad causam procreantem refertur: cùm quia entia non sint sine necessitate multiplicanda, tum quia contradictionem involvare esse causam & esse corruptentem.

4. Causa finalis est omnium causarum ultima; siquidem nihil aliud est quam bonitas rei, qua illa ad usum est apta, resultans ex materia cum forma combinata, quae bonitas ab efficienti mente recepta, cum impellit ad agendum, atque adeo recte tum causis impulsibus annumeratur, ideoque hoc sensu quatuor causarum aliquam (ut reliquis oppositam) constituere haud potest.

5. Nec sufficit dicere solum Logicam Ramam laborare defectu argumentorum iudiciorum, cum ea (uti alia queque ad proprias sedes revocare solet) accuratè ad argumenta modo quodam consentanea referat, ut quæ consensionem habeant laxiorem.

6. Synonymorum consideratio aut non est Logica, sed Lexica, aut si sit habet locum suum, tanquam exemplum, in distributione subjecti in sua adjuncta.

7. Thematis doctrina uti tradi solet non est Logica.

## II. RHETORICA.

1. Rhetorica non differt ab Oratoria.

2. De causarum generibus agere non pertinet ad artem Oratoriam, sicut nec de inventione, dispositione, memoria, verborum perspicuitate, &c.

3. Metonymia forme & finis nullum in Rhetorica proprium exemplum habet.

## EX PHILOSOPHIA MORALI.

### I. ETHICA.

1. Ethica studium etati juvenili est congruum.

2. Virtutum doctrinam plenè tradit Theologia, quæ illam Dei voluntatem nobis exhibet, quâ officium nobis prescribitur.

3. Forma virtutis consistit non in mediocritate inter duo vitia extrema, sed in conformitate ad suam regulam.

4. Justitia, prudentia, fortitudo, temperantia non sunt quatuor genera virtutum, verum affectiones cuilibet veræ virtuti competentes; quamvis speciales quedam virtutes & nomine & definitione alicujus illarum gaudent, quia in illa magis effulgeant.

## III. OECONOMIA.

1. Parentum jus in liberos est iuri regium.

2. Quia paterfamilias in se imaginem seu similitudinem Monarchæ habet, idcirco debet habere perfectiorem virtutem quam alii omnes in domo.

## III. POLITICA.

1. Administrare jus in respectu ad finem extrinsecum & mentem legis, est major justitia, quam si respectus habeatur ad finem proximum solum & verba ipsa legi;

gū; unde illud: Summum jus summa injuria.

2. Status Monarchicus est omnium Politicorum statuum firmissimus & maximè diuturnus, ac in se præstantissimus, siquidem in illo omnia in unum conspirant, ac proinde non facile est obnoxius dissolutioni.

3. Princeps habet jus promulgandi & sanciendi leges de doctrina cœlesti recte proponenda, de Sacramentis ritè administrandis, de Synodis indicendis & celebrandis, de visitatione Ecclesiarum & Scholarum, deque Ecclesiastica disciplina secundum Dei verbum exercenda, at non formaliter, directè, proximè, verùm materialiter, indirectè, remotè & objective.

## EX PHILOSOPHIA NATURALI.

1. Quamvis in omni motu fiat circulus propter resistentiam corporum circumstantium, natura tamen suâ quilibet tendit ad rectam lineam.

2. Hinc motus est unus, qui naturalis dicitur, quatenus rei naturæ congruit; violentus verò quatenus non à se, sed ab aliqua causa externa immittitur: Unde accidens aliquod ex uno subjecto potest in aliud transmigrare.

3. Quia, ut res aliqua existat requiritur ante omnia motus, idcirco motus est id quod primariò efficit formam.

4. Cum Physica sit ars, omnis autem ars actum aliquem hominis dirigat, congruè statui potest, imò debet eam esse etiam practicam.

5. Elementa proprie dicta sunt syderea materia & globuli cœlestes, ex his namque res primò oriuntur, & in hac ultimò resolvuntur: quamvis etiam terra, aqua, aëris, igni dici possint elementa, sed media, & uti loquuntur subalterna, sicut & Mercurius, Sal, Sulphur.

6. Privationem physicarum rerum principium esse minimè potest probari; cum principium tale debeat constituere essentiam principiorū, quod illa minimè facit.

7. Color non inest realiter corporibus, nisi quatenus illa pro varietate dispositionis partium suarum insensibilium, quâ radios cœlestes recipiunt, hoc vel illo modo eorum motum disponentes ad oculos nostros transmittunt.

8. Hinc in quibus corporibus hicce illorum motus sistitur, ob idque ad nos non reverberantur, privationē ejus iū inesse statuimus, quæque ideo nigra nuncupamus.

9. Matheseos studium adeo est juventuti necessarium, ut ubicunque locorum illud prorsus negligitur, ibi barbariem regnum obtinere necesse sit.

## EX PHILOSOPHIA SUPERNATURALI.

1. Quemadmodum totius Theologiae subjectum proprium est voluntas, ita etiam vera fidei, quæ est altera pars Theologiae, & quidem ordine naturæ prior.

2. Cum

2. Cum attributa entis & operationes fluant ab essentia ejus, sequitur manifestameos committere contradictionem, qui statuunt Deum esse infinitum quidem operationibus & potestate, sed non essentia.
3. Quia Deus est ens independens; Dei naturae adversus error est, dicere, tum demum a Deo fieri & incipere electionem, cum quis actu incipit ipsi vivere.
4. Ecclesiae gubernanda ratio in Dei verbo est sufficienter determinata.
5. Animas piorum usque ad resurrectionem cum corporibus dormire, eorum hominum est affirmare, qui nec naturam suam, nec Dei voluntatem revelatam negaverunt..
6. Philosophia sanâ non repugnat, sed potius ancillatur Theologia.

---

DOCTISSIMO ATQUE AMICISSIMO DOMINO RESPONDENTI.

**S**cissa per ambiguas maret Sapientia lites  
Nuper ab infantis pene necata nothis.  
Regius egregius penetrare in viscera Matris  
Dum cupit, heu! Sophia vulnera vimq; tulit.  
Corporis esse modum mentem per iugis clamans  
Arcadico hospitio plus feritatis habet.  
Apacius tanto solvens discrimine Regem  
Corporis, ad patrios fert super astra lares:  
Prateritique memor; presentis certa; futuri  
Praescia, divinas mens imitatur opes.  
Sic sic aeterno faciens diuertia bello  
Apacides, veris jungere falsa vetas.  
Unus es Apacida qui pocula sana propinans,  
Fonte levias patria lypidiore sitim.

Quibibit inde sapit proprius concurrite queis es  
Cura bona mentis, qui bibit inde sapit.  
Tu quoque commissi custos vigil, acer, asylè  
Divite Pergameum laude tueris opus.  
Pugna fit, infensis aciem committimus alis,  
Obscurant latium nubila tela polum.  
Non clypeata pigra est Testudo, Ariesve bicornis:  
Machinave Enceladi pseudosophantis habet.  
Irrita Matthias ridens conamina clarum  
Fulminat, & validum disjicit arma tonans.  
Extemplo scissa nubes, purgataque cœli  
Restituit purum mentibus aura jubar.  
Eulsere Aonides: plausu fremuere secundo  
Pulpita: Maonia macte canende tuba.

Votivo calamo gratulabatur  
Gothofredus Kedob  
S. Poësos Praeceptor.



MDCCVII  
III id III

I.42.